

sunt, quia in ipsis est æther semper idem, nec unquam recipiens inæqualem uarietatis æstus. Infra lunam aër & natura permutationis pariter incipiunt. Et sicut ætheris & aëris, ita diuinorum & caducorum luna confinium est. Quod autem ait: Nihil infra lunam esse diuinum, præter animos munere deorum hoim generi datos, non ita accipiendum est, animos hic esse, ut hic nasci putentur: sed sicut solem esse in terris dicere solemus, cuius radius aduenit & recedit, ita animorum origo cœlestis est, sed lege temporalis hospitalitatis hic exulat. Hæc ergo regio diuinum nihil habet ipsa, sed recipit: & quia recipit, & remittit. Proprium autem habere diceretur, si ei semper tenere licuisset. Sed quid mirum, si animus de hac regione non constat, cum nec corpori fabricando sola suffecerit. Nam quia terra, aqua, & aër infra lunam sunt, ex his solis corpus fieri non potuit, quod idoneum esset ad uitam, sed opus fuit præsidio ignis ætherei, qui terrenis membris uitam & animam sustinendi commodaret uigorem, qui uitalem calorem & faceret & ferret. Hæc & de aëre dixisse nos satis sit. Restat ut de terra, quæ sphaerarum nona, & mundi ultima est, dictu necessaria differamus.

Quo animi nostri hic sunt.

Loquitur quæ si tria tantum sint elementa.

Terra qua de causa immobilis sit, & omnia in eam suo nutu ferantur pondera. Cap. .XXII.

Nam ea quæ est media & nona tellus (inquit) necque mouetur, & infima est, & in eam feruntur omnia nutu suo pondera. Illæ uerè insolubiles causæ sunt, quæ mutuis inuicem nexibus uinciuntur: & dum altera alteram facit, ita uicissim de se nascuntur, ut nunquam à naturalis societatis amplexibus separentur. Talia sunt uincula, quibus terram natura cōstrinxit. Nam ideo in eam feruntur omnia, quia ut media non mouetur: ideo non mouetur, quia infima est. Nec poterat infima non esse, in quam omnia feruntur. Horum singula quæ inseparabiliter inuoluta rerum necessitas in se uinxit, tractatus expediat. Non mouetur, ait: est enim centron. In sphaera autem solum centron diximus non moueri, quia necesse est, ut circa aliquid immobile sphaera moueatur. Adiecit: Infima est. Rectè hoc quoque, nam quod centron est, medium est. In sphaera uero hoc solum constat imum esse, quod medium est. Et si ima est, sequitur ut uerè dictum sit, in eam ferri omnia. Semper enim pondera in imum natura deducit. Nam & in ipso mundo ut esset terra ima, sic factum est. Quicquid ex omni materia de qua facta sunt omnia, purissimum ac liquidissimum fuit, id tenuit summitatem, & æther uocatus est. Pars, cui minor puritas, & inerat aliquid leuis ponderis, aër extitit, & in secunda delapsus est. Post hæc quod adhuc quidem liquidum, sed iam usque ad tactus offensam corpulentum erat, in aquæ fluxum coagulatum est. Iam uero quod de omni syluestri tumultu uastum, impenetrabile, densatum, ex defecatis abrasum resedit elementis, hæsit in imo. Quod demersum est stringente perpetuo gelu, quod eliminatum in ultimam mundi partem longinquitas solis coaceruauit. Quod ergo ita concretum est, terræ nomen accepit. Hanc spissus aër & terreno frigori propior quam solis calori, stupore spiraminis densioris undique uersum fulcit & continet. Nec in recessum aut accessum moueri eam patitur, uel uis circumuallantis & ex omni parte uigore simili librantis auræ, uel ipsa sphaeralis extremitas, quæ si paululum à medio declinauerit, fit cuicunque uertici propior, & imum relinquit. Quod ideo in solo medio est, quia ipsa sola pars à quouis sphaeræ uertice pari spatio recedit. In hanc

Causa cur sit terra immobilis.

d ij igit